

ISIDORI

tum si quid sanguinis nondum fuerit uteri nutrimento con-
 sumptum, naturali meatu fluit in mammas, et earum virtute
 78 albescens lactis accipit qualitatem. Cutis est quae in corpore
 prima est, appellata quod ipsa corpori superposita incisionem
 prima patiatur: *κῦτις* enim Graece incisio dicitur. Idem et 5
 pellis, quod externas iniurias corporis tegendo pellat, pluvias-
 79 que et ventos solisque ardores perferat. Pellis autem mox
 detracta: subacta iam corium dicitur. Corium autem per
 derivationem caro appellavit, quod eo tegatur: sed hoc in brutis
 80 animalibus proprium. Pori corporis Graeco nomine appellan- 10
 tur, qui Latine proprie spiramenta dicuntur, eo quod per eos
 81 vivificus spiritus exterius ministretur. Arvina est pinguedo
 cuti adhaerens. Pulpa est caro sine pinguedine, dicta quod
 palpitet: resilit enim saepe. Hanc plerique et viscum vocant,
 82 propter quod glutinosa sit. Membra sunt partes corporis. 15
 83 Artus, quibus conligantur membra, ab artando dicti. Nervi
 Graeca derivatione appellati, quos illi *νεῦρα* vocant. Alii La-
 tine vocatos nervos putant, eo quod artuum coniunctiones in-
 vicem his inhaereant. Maximam autem virium substantiam
 nervos facere certissimum est: nam quanto fuerint densiores, 20
 84 tanto propensius augescere firmitatem. Artus dicti, quod con-
 ligati invicem nervis artentur, id est stringantur; quorum dimi-
 nutiva sunt articuli. Nam artus dicimus membra maiora, ut
 85 brachia; articulos minora membra, ut digiti. Conpago capita
 sunt ossuum, dicta eo quod sibi compacta nervis velut glutino 25
 86 quodam adhaereant. Ossa sunt corporis solidamenta. In his
 enim positio omnis roburque subsistit. Ossa autem ab usto
 dicta, propter quod cremarentur ab antiquis; sive, ut alii putant,

1 sanguis C ¹	consumpto K	5 cutis <i>codd.</i> (<i>cf.</i> XVI. III. 6)	idem]
ideo K (<i>non D</i>)	6 quod] quia C	internas K (<i>non D</i>)	corporis
<i>om.</i> K (<i>non D</i>)	7 ardore K	8 subacta iam <i>om.</i> B	Cori B ¹
9 haec B	§ 80 <i>om.</i> T: <i>post</i> § 77 C	10 Cori BK ¹	11 quae BK
12 vivificas C ¹	pinguitudo C	13 Palpa C ¹	sine pinguine B
14 et <i>pler.</i> B: et <i>om.</i> C	viscum <i>om.</i> B	15 propter] eo B	16 N.
a gr. C	18 artium T	19 inh. id est ab inerendo T ²	20 nervos]
cernos K	est <i>om.</i> C	21 dici B	24 membra <i>om.</i> K (<i>non D</i>)
25 velut] vel BT	26 adereat K: cohaereant B		